



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Sacra Veterum Temporum Uti Et Evangelica, Ac
Apostolica Historia**

Steinhart, Franz

Ingolstadii, 1734

VD18 90104692

Linus Summus Pontifex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62332](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62332)

dito Jerosolymæ magnopere laboratum est intestinis motibus Zelotarum, seu pro patria libertate ante alios Zelum præferentium factione: qui & Idumæos advocârunt, & plerosque civium obruncârunt; atque inter hos Ananum ipsum summum Pontificem, adeoque Synagogæ ultimum.

A Nerone Pe-
trus & Pau-
lus Martyrio
afficiuntur.
Martyrolo-
gium.

Interim Romæ Apostoli Petrus & Paulus è carcere pro ducti gloriosam mortem pro Christo & Ecclesia subeunt, ille Crucis, iste, quia civis Romanus erat, gladio vigesimo nono Junii, anno à morte Christi trigesimo septimo. Æra Christianæ vulgaris juxa Papebrochium sexagesimo quinto.

Linus Summus Pontifex.

Ab Anno
post passio-
nem Christi
37.

Nero perit.

Sanctus Petrus Romæ jam diu antè creaverat Linum, Clementum, & Clementem Episcopos non quidem simul, sed successivè, prout crescens paulatim Fidelium in urbe ac suburbis numerus suadebat; qui cùm nulli sedi vivente Petro adstricti essent, Episcopi Apostolici vel potius Evangelici vocabantur. Et quidem Linum Petrus, cùm longinas percurreret regiones, Vicarium suum constituit, ad quem se diu absente alia Ecclesiæ in dubiis recurrere possent. Nunc verò mortuo Petro coepit esse Pontifex Romanus; qui adeò rexit Ecclesiam quā Vicarius, quā Pontifex annis undecim. Post quos Clementi sedem reliquit martyriō affectus Saturnini Consularis jussu anno à morte Christi trigesimō nonō. Hoc Pontifice regnante Nero, postquam non tantum Romæ, sed per totum latè imperium innumeros Christianos martyriō affecisset, tandem ob nimiam tyrannidem, qua etiam alios præclaros in Republica viros multos, atque inter hos Senecam Philosophum, & Lucanum Poëtam occidit, à Senatu damnatus est ablens in Græcia, quod abierat, unde cùm in Italiam reverteretur, ac Neapolí sumam defctionem intelligeret, querereturque ad supplicium, in tuga se ipsum interemit: quocum omnis Augusti familia extincta est, audita Neronis morte Galba, qui tum Hispaniæ præerat, Imperator à Romanis militibus salutatus est. Vespasianus verò ad Jerosolymam obsidendam jam accedens eam expeditionem dūstulit; & Josepho Sacerdoti Judæo, & belli duci capto vitam donavit, quod prædixisset, ipsum Imperatorem fore.

Cle.